

iniuriandi ipsumque percuciendi atque ledendi domum exiens, ipsum agentem furibunde insecutus fuit et insequabatur atque irruens in ipsum, eum cum quadam clava lignea, quam in manibus suis ipse magister Iohannes gestabat, ad pectus suum fortiter et animo iracundo fortissime trusit, vocans iterum ipsum ribaldum spurium atque nequam pessimum, et iterum clavam ipsam ambabus manibus levans ipsum Conradum agentem 5 iterum et denuo fortiter et graviter ledendo violenter percussit, ipsas percussiones violentas et iniurias sepius iterando, sentencias excommunicationis maioris canonis „Si quis suadente“ dampnabiliter ipso facto incurrando in dicti agentis verecundiam, contumeliam, iniuriam atque lesionem gravissimas, quas siquidem iniurias, idem actor ad animum revocavit et de presenti revocat easque ad summam trium millium florenorum 10 Rinensium taxat et estimat, mallens potius de suis tantundem perdere si habundaret, quam huiusmodi iniurias atque contumelias sustinere, salva tamen in premissis omnibus et singulis vestra taxatione et moderacione iudiciali. Petit igitur idem procurator nomine quo supra per vos venerabilem dominum atque reverendum patrem episcopum iudicem memoratum vestramque sentenciam diffinitivam, postquam vobis de premissorum veritate 15 constiterit procurari, decerni et declarari, comminacionem, percussionem, lesionem, violentas iniurias atque contumelias premissas fuisse et esse temerarias illicitas, iniustas et iniquas temereque de facto presumptas, ac dicto magistro Iohanni minime licuisse aut licere sibi de et super eisdem perpetuum silentium imponendum, ipsumque propter violentas percussiones atque lesiones huiusmodi sentencias excommunicationis maioris 20 ipso facto incidisse eundemque excommunicatum denunciandum fore atque denunciari, et nichilominus eundem magistrum Iohannem dicto agenti in summa trium millium florenorum occasione premissa condemnandum et ad eorundem florenorum solucionem et satisfactionem effectivalem per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia cogendum et compellendum fore et esse, et per vos condemnari, imponi, denunciari, cogi et com- 25 pelli ac alias de et super omnibus et singulis premissis iusticiam sibi ministrari, vestro benigno officio humiliter implorato. Que omnia et singula petit idem procurator nomine quo supra omnibus modo, via, forma et stilo quibus potest et debet melioribus una cum expensis in lite presente legitime factis; de faciendis ac de iuris addendi, minuendi ac aliis ut fuit et est moris atque stili protestatur. 30

Wernerus Baldewini utriusque iuris licenciatus subscripsit.

## 69.

*Der Prokurator des Magisters Johannes Meurer protestirt vor dem Bischof Johannes gegen die Anklage des Conrad Tube und bittet den Bischof die Exkommunikation über Conrad zu verhängen.*

[1446.] 35

*Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 306—307.*

Coram vobis reverendo in Christo patre ac domino Iohanne episcopo Merseburgensi, iudice et conservatore principali iurium et privilegiorum venerabilium virorum dominorum magistrorum, doctorum et scolarium alme universitatis studii Lipczensis, a